Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Biblia Latina - Cod. Aug. perg. 154

[Reichenau ?], [14. Jh.]

Schmuckinitiale

urn:nbn:de:bsz:31-42065

Visual Library

tione plena. Non recedet a te rapina.
vox flagelli et vox impetus rote et
equi frementis et quadrige ferven-
tis et equitis ascendentis et micantis
gladii et fulgurantis haste et multi-
tudinis interfecte et gravis ruine. nec
est finis cadaverum. Et corruent in cor-
poribus suis pre multitudine fornicatio-
num meretricis speciose et grate et ha-
bentis maleficia, que vendidit gentes in
fornicationibus suis et familias in ma-
leficiis suis. Ecce ego ad te dicit dominus
exercituum. Et revelabo pudenda tua in
facie tua et ostendam gentibus nu-
ditatem tuam et regnis ignominiam
tuam. Et proiciam super te abhominatio-
nes et contumeliis te afficiam et po-
nam te in exemplum. Et erit. Omnis qui
viderit te resiliet a te et dicet. Vastata
est ninive. Quis commovebit super te ca-
put. Unde queram consolatorem tibi. Num-
quid melior es alexandria populorum que
habitat in fluminibus. Aque in circuitu ei-
us, cuius divitie mare, aque muri eius.
Ethiopia fortitudo eius et egyptus
et non est finis. Affrica et libies fuerunt in
auxilio eius. Sed et ipsa in transmigratio-
nem ducta est in captivitatem. Parvuli ei-
us elisi sunt in capite omnium viarum et su-
per inclitos eius miserunt sortem et omnes opti-
mates eius confixi sunt in compedibus.
Et tu ergo inebriabis et eris despecta.
et tu queres auxilium ab inimico. Omnes
munitiones tue sicut ficus cum gros-
sis suis. si concusse fuerint. cadent in
os comedentis. Ecce populus tuus mu-
lieres in medio tui. Inimicis tuis
ad apertionem pandentur porte ter-
re tue. Devorabit ignis vectes tuos.

Aquam propter obsidionem hauri. extru-
e munitiones tuas. Intra in lutum
et calca subigens tene laterem. Ibi
comedet te ignis. peribis gladio. de-
vorabit te ut bruchus. Congregare ut
bruchus. multiplicare ut locusta. Plu-
res fecisti negotiationes tuas quam
stelle sunt celi. Bruchus expansus est et a-
volavit. Custodes tui quasi locusta. et
parvuli tui quasi locuste locustarum. que
considunt in sepibus in die frigoris.
Sol ortus est et avolaverunt. et non est
cognitus locus earum ubi fuerint.
Dormitaverunt pastores tui rex assur.
sepelientur principes tui. Latitavit
populus tuus in montibus et non est qui congre-
get. Non est obscura contritio tua. pes-
sima est plaga tua. Omnes qui au-
dierunt auditionem tuam compresserunt
manum super te. Quia super quem non transi-
et malitia tua semper. Explicit Na-
um propheta. Incipit prologus Abacuc

Quatuor prophe-
te in .xii. prophe-
tarum volumine
sunt e quibus
tres in principio prolemma
tum id est pondus
titulum habent.
Zacharias in medio et circa finem
duos huiusmodi ponit titulos. e quibus
unus est. Onus verbi domini in terra
adrach et damasci requiei eius. alter in
fine. onus verbi domini super israel. Sanctus
igitur abacuch. qui vel ex eo quod amabilis
domini est vocatur amplexatio vel quod in
certamen et luctam ut ita dicam am-
plexatur cum deo congreditur amplexan-
tis id est luctantis sortitus est nomen. Nullu-